

De missione quadam a nostris Nuceriae habita

In Analectis a. 1933, p. 15, occasione missionis a. 1826 in oppido Alsatino Hagenau habitae, haec scripta leguntur: «Ex his octo missionariis P. Springer, vir eximiae virtutis ac magnae eloquentiae, peculiari mentione dignus est, quippe traditionis nostrae primigeniae veluti anulus. Per annum enim integrum (1823–24) mandatu Ven. Patris Passerat inter confratres Neapolitanos degerat, genuinam vitam Ligorianam cognitum, et procul dubio uni alterive missioni Neapolitanae interfuerat spectator». Interea reapse inventa est longior relatio a P. Springer lingua Germanica scripta de missione Nucerina 32 dierum, cui ipse testis de visu et auditu interfuit. Talis relationis momentum est obvium, sive pro historia nostrorum missionum, sive pro maiore intelligentia eorum quae Pater legifer noster in Regula et in Constitutionibus atque in opusculo anni 1760 *Breve Istruzione degli Esercizj di Missione*, quod est Pars III maioris operis *Selva*¹, nobis reliquit. Praesertim confratribus extra Provinciam Neapolitanam viventibus hae notitiae gratae erunt. Sed priusquam substantia relatus Springeriani hic exponatur, iuvat pauca de ipso auctore praemittere.

Franciscus Ser. Springer, natus 3 Ian. 1791 in Austriae Inf. pago Strass, per integrum septennium discipulus S. Clementis fuit, quo tempore nempe in Universitate Vindobonensi primum iuridicis, dein theologicis studiis vacabat. Francisci pia nutrix Theresia Salzbauer, S. Clementi quondam (a. 1816) uvas offerens, simul gratias egit de visibili progressu, quem Franciscus in via sanctitatis faceret. Cui S. Clemens tunc monstravit effigiem S. Fundatoris nostri nuper beatificati inquiens: «Hic ei dat bonum spiritum». Revera P. Springer semper sese exibuit genuinum tanti Patris filium.

Mortuo S. Clemente et Congregatione tandem aliquando in Austriam admissa Franciscus inter primos septem viros egregios fuit, qui in vigilia Pentecostes (20 Maii 1820) in conventu Franciscalium sacram vestem Instituti induerunt, et inde ab initio sanctitatis viam currebat ut gigas. Nondum professus, d. 18 Mart. 1821 sacerdotio auctus est et festo B. Alfonsi eiusdem anni vota nuncupavit. Die 16 Apr. 1823 profectus est Nuceriam Paganorum et d. 21 Maii 1824 Viennam revertit. A confratribus Neapolitanis ob modestiam animumque collectum vocabatur «Sanctus semper ecstasticus». A. 1825 cum duobus aliis confratribus primam missionem (licet eo nomine uti tunc temporis nefas esset) per undecim hebdomades in Gallneukirchen habuit ad convertendos nonnullos parochianos a falso propheta Martino Boos seductos totamque paroeciam in spiritu innovandam².

A. 1926 in longinquam Lusitaniam missus est ad inaugurandum Ulissipone (*Lisboa*) Congregationis collegium, et per Alsatiam iter faciens partem habuit in illa missione, quam supra commemoravimus. Ob infirmitatem (iam diu sanguinis tussi

¹ M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie*, p. 110.

² Cfr. E. HOSP, *Die erste Sendung in Oesterreich*, in *St. Klemensblätter* 1931–1932.

laborabat) anno inequenti redire coactus est, et priusquam itineris metam, Viennam, assequeretur, Pragae in Seminario archiepiscopali d. 19 Sept. 1827 sancto fine quievit, annum agens tricesimum septimum. Rector Seminarii Vincentius Pražsky, qui morienti adstitit, postea admirans Patri Passerat inter alia scripsit: « Summa veneratione prosequor Congregationem, in cuius sinu sic vivere, sic pati, sic mori discitur, sicut Franciscus Springer vixit et passus et mortuus est ».

De hoc eximio sodali P. Carolus Mader in libro *Die Congregation des allerheiligsten Erlösers in Oesterreich*, p. 309-328, pulchre scripsit, quanquam P. Springer peculiari monographia, immo altarium honoribus dignus esse videtur. A. 1831 apparuit Fratri laico Ioanni Schermesser suppressionem domus Montis Episcopalis (*Bischenberg*) amare deflenti et praedixit ibi eodem loco brevi plures, quam antea, Redemptoristas habitaturos esse¹.

His praemissis audiamus ea quae P. Springer de missione illa Nucerina refert. Eam ipse parochus postulaverat, sed nomen paroeciae desideratur.

I. MISSIONIS INITIUM. — Die natali Instituti 9 Nov. 1823, qui sicut a. 1732 in Dominicam incidit, P. Springer cum 10 missionariis nostris e collegio Paganensi se contulit ad certum locum prope civitatem Nocera, ubi parochus cum aliquot clericis et paroeciae pueris expectabat. Adulti vero pauci aderant, cum caelum esset pluvium. Formabatur parva processio, missionis superiore, P. Iosepho de Paola (* 1762, † Paganis 1826) crucem gestante, et inter recitationem precum praescriptarum ad ecclesiam perventum est. Ibi SS. Sacramentum adorabatur, et alta quidem voce. Tum missionis oeconomus P. Iosephus Papa (* 1774, † Casertae 1850), eo tempore Rector Iuranensis, suggestum ascendit ad missionis scopum explanandum eiusque exercitia annuntianda.

Hora 24 Neapolitana (ergo nostra h. 17 vel 18) P. Raymundus Airola (* 1774, † Paganis 1832), contionem maiorem (*predica grande*) habuit, quod idem fecit diebus sequentibus.

Postea per tres dies habebantur illae exhortationes nocturnae (*Sentimenti di notte*), quae accuratius a S. P. N. Alfonso in opere citato tractantur. Patri Springer multum placuerunt easque « mire pulchras » vocat. Patres bini vel trini cum aliquot pueris aliisque fidelibus exibant foras. Sacerdos cantabat in via interpositis intervallis litanias B. M. V., consistebat certo loco, cantabat brevem stropham, tandem exhortationem convenientem recitabat.

II. CONTIO MAIOR CUM VARIIS CAEREMONIIS. — Teste P. Springer hoc fuit argumentum contionis vespertinae: 1. Invitatio ad poenitentiam (*chiamata*). 2. Divina misericordia. 3. Impoenitentia vel conversionis procrastinatio. 4. Peccatum mortale quatenus est offensio Dei. 5. Effectus spirituales peccati. 6. Effecta eius temporalia. 7. Scandalum. 8. Mors peccatoris.

¹ J. B. LORTHIOIT, *Mémorial Alphongien*, p. 470 sq.; E. COLLET, *Memento*, ad 19 Sept.

9. Iudicium universale.
10. Poena sensus in inferno.
11. Poena damni.
12. Aeternitas gehennae.
13. Salutis operandae necessitas.
14. Eiusdem difficultas.
15. Blasphemia.
16. Quis salvabiter?
17. Divina iustitia.
18. Stultitia hominis terrena sapientis, cum vita sit iter ad aeternitatem.
19. Numerus peccatorum.
20. Derelictio peccatoris ob gratiae abusum (*abbandono*).
21. Peccator Iesu Christi passionem innovat.
22. B. M. V.
23. SS. Sacramentum.
24. Beneficia Dei.
25. Amor Dei hominem vere beatum reddit.
26. Paradisus.

Contionator primum aliquod pium canticum praecinebat, a multitudine repetendum. In contione ipsa recitanda P. Springer perspicue tres tonos distinxit. *Tonus I* est familiaris ille, qui raro in contione maiore, sed semper in instructione catechetica usurpatur. Praevalet in contione *tonus II*, qui est uniformis, modulationis paene expers, excepta motione affectuum in peroratione, cum fit flebilis et quasi singultiens. Ex hac atmosphaera aequabili interdum velut fulgura prosiliunt, i. e. certae phrases magni momenti *tono III* pronuntiantur et quasi cantantur¹.

Praeterea P. Springer notat: «Contiones Patrum nostrorum semper circa unum punctum (thema) circumeunt. Descriptio et enumeratio partium sunt figurae magis adhibitae magisque efficaces. Ceterum contio semper apparet ut veritas ex ipsa S. Scriptura profluens».

Inde a quarto die missionis, finita contione, dum aliquis Pater e suggestu litanias B. M. V. cantat, mulieres ecclesia exhibant. Dein alius missionarius exhortationem brevem et fervidam ad solos viros et iuvenes habebat (*Sentimento degli uomini*), quam haud raro excipiebat actus disciplinae. Viri igitur genuflexi, sed habitu minime deposito, funibus (et nonnulli etiam catenis) sese in dorso flagellabant. Interea alii Patres in templo apte dispositi ad poenitendum exhortabantur. Signo tintinnabuli indicabatur finis huius actus; verum aliquando, novis motivis poenitentiae propositis, statim nova flagellatio fiebat. In fine praecinebatur canticum *Offesi te, mio Dio, caro Signore*.

Ipse missionarius iam antea coram universo populo, ad peccata eius expienda, fune horribili se caeciderat. Accidit autem non raro, ut quis e multitudine, quasi indignans quod innocens pateretur, funem Patri eriperet.

Versus finem contionis maioris ab altero Patre in pulpiti fulcro sustentatur Crucifixus magnus trium pedum cum duabus candolis accensis (quibus opus est ad vulnera Christi in templo obscuro ostendenda). Hunc Crucifixum contionator identidem arripit contritionis motiva sugerens et ipse in fine talem actum eliciens. Interim multitudo extra se rapta apparebat, tumultuabatur, manus protendebat...

¹ Cfr. etiam *Analecta XIII* (1934), 16, nota.

De peccato scandali agens (die VII) contionator, postquam ipse se flagris caecidit, Iesum Christum nondum placatum esse ait, quare sodales suos sibi velle succurrere. Ecce, reliqui missionarii lente procedere. Superior gestare magnam crucem, ceteri coronam spineam et funem. Formari via libera inter multitudinem et mox flagellatio incipere. «Nunquam putaveram (scribit P. Springer) eousque affectuum motionem progredi posse, nec quisquam sibi animo fingere potest clamores et convulsiones populi».

«Post contionem de inferno circumfertur pictura nonnullorum damnatorum, quae omnes ingenti afficit horrore. Post contionem de aeternitate damnata contionator manum paululum immittit in flammarum facis piceae, flebili clamore dolorem exprimens. Post contionem de morte peccatoris animos permoveat ostendens calvariam mortui. Post contionem de passione Christi peccato renovata circumfertur tela cum effigie Crucifixi¹.

«Poenitentia plane sui generis est tractus linguae (*strascino della lingua*). In latere interiore portae ecclesiae effigies Crucifixi collacatur. Ibi missionarius verba facit, commemorans fellem et acetum, quibus Christum cruci affixum (peccatis linguae) potavimus. Ad quam linguam puniendam deinde hoc exercitium fit. Aspectus singularis: Dum aliquot missionarii hinc inde dispositi ad poenitendum exhortantur, viri genibus nixi linguam versus cancellos presbyterii trahunt, ubi alius sacerdos crucem osculandam offert. Est poenitentia omnium gravissima maximeque humilians et fit in pervigilio communionis generalis virorum.

«Olim post contionem de iudicio universali etiam locum habebat maledictio vitiorum. Sacerdos indutus cotta et stola nigra ac facem piceam nigram prae se habens maledicebat singula².

«Per duos pluresve vesperes fit actus reconciliationis. Pater ad id destinatus stat cum Crucifixo ante presbyterii pluteum et ad pacem ineundam adhortatur. Interim formatur in medio liber transitus. Sacerdos monet, si quis se ab altero offendit sciatur, accedat et ad aurem sibi nomen offenditoris offensionisque causam dicatur. Tum, si Pater publicam reconciliationem utilem iudicaverit, clamat v. g.: ‘Antoni Piccicardi, Jesus Christus te vocat!’ Si vocatus appropinquat, Pater clamat: *Ave Maria*. Tum ambo iubentur sese amplexari et Crucifixum osculari, quo facto populus cantat: *Lodato sempre sia — il nome di Gesù e Maria*. Haec evocatio nominum ferè per dimidiā horam protrahitur, prout missionario visum fuerit, et altero vespere caerimonia forte repetitur». Haec P. Springer.

Ea quae de contione dicta sunt clare demonstrant missionariis nostris verba S. Alfonsi sacrosancta fuisse (opere citato, cap. VII, 5): *Poco sarà*

¹ Cfr. *Analecta IX* (1930) 216-220, de Crucifixo a S. Alfonso depicto.

² De caerimonia commoventi, quae hodie in fine huius contionis usuvenit, cfr. *Analecta XIII* (1954), p. 11, nota. P. Springer de ea tacet.

il profitto della predica, se gli uditori restano persuasi, ma non restano compunti e risoluti di mutar vita.

III. ALIA EXERCITIA COTIDIANA MISSIONIS. — Contioni maiori antecepdebat Rosarium et instructio catechetica. Rosarium incipiebat circa duabus horis ante contionem et instructio post horam. Explanato respectivo mysterio *Pater noster* et 10 *Ave* et *Gloria* non recitabantur, sed cantabantur, quare ordinario binae decades sufficiebant.

Subsequens instructio populi iudicatur res omnium difficillima, utpote exigens multam scientiam theologicam. Catechista, P. Rector Papa, exponebat proxim confitendi et communicandi ac decalogum, etiam totam doctrinam de occasionariis et recidivis; eius tamen vox rauca non bene intelligebatur.

Tandem inter exercitia diurna missionis commemoranda est meditatio matutina, quae vocatur; sed erat potius contio brevior, ab aliquo e Partibus iunioribus habita, substantiam contionis vespertinae repetens. In fine Pater quandoque se flagellabat.

IV. PRO VARIIS FIDELIUM STATIBUS. — 1. Inde a primis diebus pueri et puellae ab ipsis missionariis ope campanulae in viis convocabantur et postea separatis locis in ecclesia catechizabantur ante Rosarium et instructionem adulorum. P. Springer quaestiones fieri solitas singillatim recenset¹. Qui bene responderat, recipiebat non modo aliquam imagunculam, sed in fine etiam tessera conferentem ius ad faciendam confessionem. Pariter post confessionem altera tessera distribuebatur pro communione. Spectatori Transalpiño aspectum plane novum praebebant hi circuli vivacis iuventutis Italiae meridionalis, semper motae, semper loquacis, quibus circulis praesidebat Pater catechista canna longa instructus.

Nono ab inchoata missione die fuit horum parvulorum communio generalis. Puellae gestabant supra velum album capitis coronam spineam, pueri in capite nudo eandem coronam et circa collum funiculum. Iam solus aspectus huius exercitus innocentis teste P. Springer commovebat usque ad lacrimas. Et quantus singultus ipsorum parvulorum postea auditus est, cum Pater in sua allocutione invehebat in peccatum! Cum vero parva statua Iesu Infantis, comitata «Angelis», sollemni ritu sub umbella apportabatur, commotio ineffabilis effecta est. Pueri et puellae non modo flere, sed alta voce clamare ac sponte sua summi doloris signa edere. Pueri funibus in se ipsi saevire... Aegerrime aliquantum silentio facto vocatur puellula pauper et optima, ut ulnis Iesulum recipiat et omnium nomine veniam petat. Dein ad affectum augendum statua divini Infantis tollitur eiusque loco Crucifixus affertur, sed non sub umbella. Iterum quanta com-

¹ Cfr. etiam opus S. Alfonsi l. c. cap. V, § 2.

motio! Missionarius cum Crucifixo procedit usque ad locum inter pueros et puellas liberum relictum ad vulnera Christi coram ostendenda, et si parvuli clamant, ipse necessario vel magis clamare debet, ut saltem aliquatenus intelligatur. Tandem, in presbyterium redux, duos pueros magis commotos advocat omnium nomine Crucifixi plagas osculatum. Caerimonia omnium tenerrima!

Crucifixo ablato Pater dixit actus ad s. communionem praeparantes, parvulis singula verba inter singultus repetentibus. Postea per plures sacerdotes simul sacrae particulae distribuebantur, et tandem missionarius adiuvabat in gratiarum actione facienda. — Sicut P. Springer notat, in aliis missionibus Neapolitanis ante communionem generalem a parvulis (et postea a viris et iuvenibus) instituitur processio poenitentiae per vias publicas¹. Cur tum Nuceriae omissa sit, non dicit.

2. Post aliquot dies facta est communio generalis virginum (*zitelle*), i. e. innuptarum ab annis pubertatis ad annos centum, ut praedicator eam annuntians dixit! Ipsi quoque mane ostensus est primum Jesus Infans et postea Crucifixus, item cum motionis effectu summo, quanquam nemo earum ad osculandum Dominum evocabatur. Post meridiem P. Aloisius Lombardi (* 1770, † Sommae 1835) ad eas in sacello laterali verba dixit summis laudibus efferens virginitatem².

3. Exactis aliis nonnullis diebus fuit communio generalis mulierum nuptarum, quibus Crucifixus quidem, non vero Jesus Infans ostendebatur. Mirabatur P. Springer, quod P. Lombardi tam atris coloribus earum sortem depingebat. Pomeridiano tempore feminae de peculiaribus uxorum matrumque officiis instructionem receperunt.

4. Denique in communione generali virorum ac iuvenum, qui eo die in capite coronam spineam et circa collum funem gestabant, etiam extra ecclesiam, non ad clamores quidem motusque convulsivos perventum est, verumtamen saltem ad lacrimas et singultus ac flagellationes. Praeterea missionarius viris in memoriam revocavit primos christianos ante panis eucharistici receptionem sibi pacis osculum dedisse, et ad idem faciendum, exhortatus est, saltem quoad inimicos et adversarios. Fieri sane non poterat quin hoc pacis osculum haud parvam crearet confusionem, cum Titius Caium et Petrus Paulum inter adstantes quaereret. Eadem caerimonia antea in communione mulierum facta erat. Interea, dum pacis osculum datur et postea s. communio distribuitur, ad augendum cordis affectum adhibebatur dulcis sonus organi et campanularum.

¹ Cfr. Constitutiones Capituli a. 1764, n. 141. In missione Nuceriae a. 1924 a nostris habita (*Analecta IV*, 16-18), revera haec processio facta.

² S. Alfonsus opere cit. cap. VIII, 3 exhibet talem sermonem integrum. Habemus paucos sermones S. Fundatoris plane exaratos.

« Hae communiones generales (ita P. Springer), de quibus claram ideam non habebam, multa commoda praebent, ut sunt mira motio affectuum ad recipiendum melius tantum Sacramentum, actus in communi eliciti ante et post communionem, augmentum fervoris missionis, evitatio scandali, si quando a confessario prima vice absolutio differatur etc. »

V. MISSIONIS FINIS. — Habitatis illis 26 contionibus maioribus supra enumeratis secutum est biduum « vitae votae ». Hora consueta loco contionis (et instructionis?) primum facta instructio de necessitate orationis, etiam mentalis, addito eam haud ita difficilem esse. Priusquam vero missionarius id practice demonstraret, narrando singula facta passionis Domini, ipse affectus audientium excitavit per Improperia *Popule meus, quid feci tibi?* Tum alter missionarius, iuxta contionatorem prostratus, ante Crucifixum cecinit famosum S. Alfonsi canticum *Gesù mio, con dure funi*, id quod piam multitudinem mirum quantum commovit. Enarratio passionis Domini vespere in sequenti ad finem perducta est. His diebus etiam cruces, imagines, corona, scapularia benedicebantur.

Ad missionem diutius protrahendam post proxim vitae votae, contra stylum consuetum, per quatriduum (7–10 Dec.) facta est expositio vespertina SS. Sacramenti cum sermone correspondenti, donec d. 11 Dec., fer. IV, ultima contio habita est de perseverantia cum benedictione apostolica. Attamen contionator ob nimium motum multitudinis parum intelligebatur. Enumeratis variis classibus (v. g.: « Benedico nostro regi, ut... ») in fine missionarius Crucifixo illo trium pedum quaquaversus magnam crucem efformabat. Sequebatur Hymnus Ambrosianus et benedictio eucharistica a parocho impertita.

VI. EXERCITIA SPIRITALIA. — Restant pauca dicenda de exercitiis spiritualibus intra missionem praedicatis. Hoc factum est eodem tempore per octiduum pro clero¹ et pro viris honestioris condicionis (*galantuomini*). Et clerici et nobiles (i. e. viri magis culti aut magis divites) circa horam Rosarii in aliquo sacello coadunati per semihoram recipiebant aliquam instructionem ipsis adapatatam et statim postea audiebant meditationem seu contionem de veritatibus aeternis.

En argumenta sermonum (instructionum?) ad viros nobiliores habitorum, prout P. Springer ea nobis scripta reliquit: 1. Animaæ pretium. 2. Scandalum nobilium. 3. Religio. 4. Fontes irreligiositatis: ignorantia pravique mores. 5. Spiritus hominis christiani consistens in mortificatione.

¹ Nuceriae tunc temporis circ. 20 sacerdotes vivebant, et omnes quidem in suis familiis, sed soli duo vel tres excipiebant confessiones. Eo tempore pro ordinatione requirebatur patrimonium 1000 ducatorum seu redditus anni 50 ducatorum.

6. Gravitas peccati luxuria. 7. Gehenna, vel in quo consistat vera hominis beatitudo. 8. Beatissima Virgo Maria.

Etiam carcere detenti per aliquot dies suos peculiares sermones suamque communionem generalem habuere, non vero moniales. Ad has enim etiam in Neapolitano territorio tunc temporis exercitia spiritualia praedicabantur aliquando extra missionem.

P. Springer notavit alia quoque de ordine diurno a missionariis servato, de condicione et moribus cleri populique etc., sed ea omittimus, ne nimis haec relatio excrescat. Addimus solummodo missionarios suam habuisse peculiarem habitationem, i. e. tria conclavia certae domus. In uno conclavi 9 lecti positi erant! Frater laicus cum famulo victum parabat, qui erat simplex: iusculum, unum ferculum, panis, vinum, fructus. Ceterum haec aliaque multa in missionibus Provinciae Neapolitanae servantur usque in praesentem diem.

De mediis externis ad commovendum populum in missione Nucerina illa adhibitis alios aliter iudicare constat; sed nemo infitias ire potest inde praeclera effecta esse obtenta, videlicet magnum, immo extraordinarium horrorem peccati, contritionem de peccatis commissis perfectam, optimam dispositionem in recipiendis sacramentis poenitentiae et Eucharistiae, novum magnumque amorem erga D. N. Iesum Christum, extinctionem omnium inimicitiarum, alia. Eiusmodi missio, quae in paroecia sanctam quandam « revolutionem » operatur, animis imprimis ictus nulla oblivious plane auferendos. Utinam etiam in hac Alma Urbe similis missionis Redemptoristicae spectaculum aliquando videatur! Tum melius appareret illas contiones Romae in Quadragesima vel Maio vel alio mense haberi solitas quoad effectus nullatenus verae missioni comparari posse.

Die 12 Dec. 1823 ante meridiem omnes missionarii Nuceria ad collegium nostrum ad S. Michaelis reverterunt. Domi invenerunt R̄mum P. Rectorem Maiorem Nicolaum Mansione graviter aegrotantem, qui ante prandium ipse petivit Viaticum et die insequenti in Domino obdormivit.

Res magni momenti: In adeundis feminis nobilibus, ut causam nostram adiuvent, ne quaesierimus commendationes alicuius feminae utcumque suspectae. Deus nos mediis honestis uti vult nec tali, quod suspicione vel incitamento peccati non careat.

(*S. Alf. ad P. Procuratorem Maione 4 Nov. 1776.*)